

CLYPEVS SECVNDVS.

Pro Scotistis.

Num. 26. Ens non prædicatur in quid.

Quod ens non prædicatur de suis passionibus, neque de vltimis differentijs in quid, his probari solet argumentis.

Prob. primo.

Primum est. Prædicari in quid est prædicari in primo modo dicendi per se: sed subiectum non prædicatur de suis passionibus nisi in secundo modo dicendi per se, ergo ens non prædicatur de suis passionibus in quid.

Secund.

Secundum. Ens quod prædicatur in quid, sufficienter diuiditur in ens increatum, in decem summa genera, & partes essentielles decem generum: sed passiones entis nec sunt ens increatum, nec decem genera, nec partes essentielles eorum, ergo ens non prædicatur in quid de illis.

Tertii.

Tertium. Si v.g. verum, quod est passio entis, includit ens quidditatiuè, vel præcisè, & adæquatè includit, & tunc ens erit passio entis, & idem passio sui ipsius: aut non includit ens adæquatè, sed aliquid aliud, & tunc quæro verum illud aliud includat, ens aut non? si sic, ergo verum bis includit ens: si non, ergo habetur intentum.

Quart.

Quartum. Sicut se habent partes compositi physici, ita suo modo se habent partes compositi Metaphysici: sed partes compositi physici se nullo modo includunt; nam materia prima ita est potentia, vt nullo modo sit actus, & forma physica ita est actus, vt nullo modo sit potentia, ergo similiter vltimæ differentiæ determinantes ens ita erunt differentiæ, vt non includant ens.

Quinti.

Quintum. Quod includit aliud quidditatiuè est eo inferius, sicut quia homo includit quidditatiuè animal, idè est inferior animali: sed passiones entis non sunt inferiores ente, quia cum eo conuertuntur, quod autem conuertitur cum alio, non est eo inferius, ergo passiones entis non includunt quidditatiuè ens.

Et hæc sunt potiores rationes pro Scotistis, sub quibus aliæ continentur, ad easq; facile reducuntur.

CLYPEVS TERTIVS.

Respondetur Rationibus Thomistarum.

Num. 27. Soluuntur rationes probantes Ens prædicari in quid. Ad primam.

Ad primam. Quæ petitur ex autoritate Aristotelis, dic ens prædicari de differentijs non in quid, sed in quale: alij dicunt autoritatem Arist. non esse validam, quia in illo toto tertio met. potius loquitur dubitando, quam concludendo.

Ad secundam.

Ad secundam. Respondebis, non idè passiones entis & vltimas differentiæ esse de obiecto intellectus quòd prædicentur in quid, sed quia ens illas continet virtualiter: aut dic, sufficere vt sint cognoscibiles, quòd sit ens qualitatiuè. Et dum instat Soncinus; Ea quæ sunt denominatiuè tantum talia non cognoscuntur à potentia, &c. Responde hoc esse verum de ijs, quæ sunt denominatiuè talia denominatione extrinsecâ: at quamuis vltimæ differentiæ sint tantum entia denominatiuè, sunt tamen denominatiuè

intrinsecè. Exemplum autem de Petro colorato, est de denominatione extrinsecâ. Adde quòd potentia visua non est ita vniuersalis atque intellectiua, vnde non mirum, si non feratur per se, nisi ad obiectum suum quidditatiuè, intellectus verò feratur per se tam ad obiectum denominatiuè, quàm ad quidditatiuè. Deinde non dicimus absolutè vltimas differentiæ esse non entia, sed tantum dicimus non esse entia quidditatiua.

Ad tertiam.

Ad tertiam. Omne superius imbitur in suo inferiori, quòd quidditatiuè continet; non verò in inferiori, quòd non continet quidditatiuè.

Ad quartam.

Ad quartam. Concede vltimas differentiæ non dicere nihil: fed cum infertur, ergo important ens: quidditatiuè, nego: qualitatiuè, concedo: vt enim aliqua res sit extra nihil, sufficit quòd sit ens qualitatiuè.

Ad quintam.

Ad quintam. Concede nullam passionem posse concipi, nisi in ordine ad subiectum, attamen non est necesse, vt actualis & formalis ratio talis subiecti concipiatur. Ad confirm dic species esse vera entia secundum se tota, quia non includunt vltimas differentiæ, at indiuidua quandoquidem includunt vltimas differentiæ, vltimatè erunt entia qualitatiua, in quo nullum reperitur absurdum.

Ad sextam.

Ad sextam. Dices sufficere quòd passiones & vltimæ differentiæ constituantur sub decem prædicamentis indirectè, & reductiue, & pro hoc sufficit quòd sint entia qualitatiuè.

Ad septimam.

Ad septimam. Dic sufficere quòd conueniant passiones entis vltimis differentijs denominatiuè, sicut & ipsæ vltimæ differentiæ sunt entia denominatiuè: sicut licet proprietates albedinis sit disgregare visum, attamen Petrus albus, quamuis sit tantum denominatiuè albus, non definit dici disgregare visum. Aut negabis ad argumentum conuenire in recto vltimis differentijs passiones entis.

Ad octauam.

Ad octauam. Dices idè ens non esse genus ob nimiam eius communitatem: deinde genus non debet per se primo prædicari de aliqua ex suis differentijs: at ens per se primo & quidditatiuè prædicatur de omnib⁹ differentijs non vltimis, quamuis ergo non prædicetur per se primo de vltimis differentijs, quia tamen per se primo prædicatur de alijs, idcirco non erit genus, quia, vt dixi, genus de nulla differentia prædicatur per se primo. Deinde omne genus diuiditur per oppositas differentiæ, at ens non sic diuiditur.

Ad nonam.

Ad nonam. Concede maiorem quidditatiuè: sed nega vltimas differentiæ concipi vt existentes aut vt aptas ad existendum quidditatiuè, sed tantum qualitatiuè.

CLYPEVS QVARTVS.

Respondetur Rationibus Scotistarum.

Ad primam respondetur distinguendo minorem, tam nempe concedendo quando solum est subiectum earum; at negando, quando & est subiectum & quid superius respectu earum, tunc enim prædicatur in quid.

Num. 28. Postea rationes probantes ens non prædicari in quid soluantur.